

catione a sacerdotibus linteis in vestibus e templo sancti Petri elata atque ad ipsius crepidinem obelisci statuta ara solemnem carmine ab infulato episcopo consecrata, manu etiam sacerdotis summo cacumine imposita est venerantibusque eam Sixtus peccatorum veniam atque indulgentiam est elargitus, confertissimo circa populo, qui non forum modo, sed omnia circa forum tecta compleverat et Sixti magnitudinem admirante et singulare humanae salutis insigne laeto ac religioso clamore salutante. Atque ita, quod ignara veri antiquitas fabulosis numinibus inani caerimonia sacraverat, id Sixtus iusta religione cruci subiecit ferendoque salutari hominum generi signo dicavit, ut ubi grassatum olim suppliciiis in christianos et passim fixae cruces, in quas innoxia natio sublata teterrimis cruciatibus necaretur, ibi supposita cruci et in crucis versa honorem cultumque ipsa impietatis monumenta cernerentur. Et quod rarum ab condito orbe et soli Aegyptii reges Romanique Caesares et horum ipsorum non nisi qui florentissimis rebus uti sunt, usurparunt et pro maximo inde regni nominisque monumento duxerunt, id Sixtus primis Pontificatus sui diebus et animo concepit et stabili decreto perfecit tenuitque universae civitatis oculos novae et post mille quingentos amplius annos relatae rei spectaculo, cum aut sedibus suis evulsam tolleret molem uni tempore, et duodenis vectibus impulsam et quinque tricenis ergatis, quas equi bini, homines denique agebant in sublime elatam, aut cum suspensam inde sensim deponeret extenderetque humi iunctis trabibus atque ex bis ingenti composita traha, quae iacentem exciperet, aut cum suppositis cylindris (sunt hae lignae columellae teretes ac volubiles) quaternis ergatis protracta paulatim per editum et ad altitudinem basis, cui imponenda erat excitatum aggerem atque undique egregie munitum incederet. Denique cum iterum erecta librataque suis reposita sedibus est. Opus longe omnium antiquissimum, is ipse perhibetur obeliscus, quippe multis ante conditam Romam saeculis excisus, non regibus solum, qui exciderunt sed regnis quoque eorum superfuit. Item Caesaribus Caesarumque imperio, a quibus deportatus Romam est. Nunc demum cruce sacratus reverentia religionis aeternitatem sortitus videri potest. Ac ne illud quidem silentio praetereundum aut non aliquo Dei numine singularique huius obelisci fato accidisse censendum est, quod a Caio et Nerone duobus importunissimis humane naturae monstris ac saevis adolescentis et incrementa capientis Ecclesiae hostibus dicatus Augusto et Tiberio fuerit, quorum sub altero natus, sub altero morte atque cruce affectus Christus est. Et quorum Augustus senatum cupientem sibi divinitatem decernere cohibuit et ipso in sole medioque radiorum orbe Christi nuper nati matris gremio insidentis speciem conspexisse monstrante Sybilla dicitur. Et Nicephorus ecclesiasticae historiae scriptor tradit eidem Augusto consulenti super successore Pythium Apollinem, primo non redditum responsum, deinde quaerenti iterum, quid ita sibi oraculum negaretur, haec edita a vate carmina fuisse: Me puer Hebraeus Divos Deus ipse gubernans, cedere sede iubet tristemque redire sub Orcum, ergo aris tacitus tu dehinc abscedito nostris. Quibus oraculis visionibusque commotum tactumque religione etiam ignoti Dei Augustum aram, quam coeli appellari iussit, in Capitolio consecrasse memorant. Et Tiberius (quod Tertullianus vetustissimus auctor scriptum reliquit) acceptis prodigiis, quae secuta mortem Christi ferebantur de